

## NEOVIDENSIS

Nro. 103. (*Neovidensis* 1806. Nro. 97.)

*Ex Campis Elysiis*  
*Colloquium Politicum*  
*vita functorum.*

Elysium--Meum.- Die Veneris 19. Decbr. 1806 (Neov. 2 Dec.)

Vesperis erat conventus; Heroës, et status  
Ministri disserebant de præsentibus negotiis;  
Elysei Manes partim gaudebant, partim tri-  
stabantur. Quique suam depromsit opinionem  
de exitu hodierni belli, cum repente compa-  
rens Mercurius annunciavit adventum Deae pa-  
cis. Dicebat quidem illam non illico, sed post  
aliquod tempus adfuturam, quo omnibus va-  
lere jussis demigrabit ad superos.

Silentes umbrae obstupere, quid? qui-  
bus sub auspiciis suspensam tenet alma Dea  
nostram expectationem? Mercurius tradidit  
suum scriptum, in quo sequentia continentur:

*Tricesima secunda relatio bellica magni exercitus:*

Berolino 16. Novembr. Capto Magdebur-  
go, et expugnata Lubeca finitum est cum  
Borussia bellum.


Iste erat status Borussici exercitus in a-  
ciem proficiscentis.

Agmen Generalis Rüchel, Vestphalicum  
dictum, constabat ex 33 legionibus peditum,

nostro Cæsari addicant, eosdem in hac cohorte honores, quibus prius gaudebant. Honorifica hæc promotio plane securos reddit eos, qui eam consequi desiderant, de patrocinio, & paterna cura æstimatissimi Herois, qui suos bellatores instar filiorum diligit, habebunturque in omnibus pari modo, uti Officiales gallici exercitus. Inferiores quoque Officiales, & gregarii æqualibus cum gallico milite fruuntur emolumentis. Quis potest hoc milite esse fortunatior? Stipendia, vestitus, & victus sunt ampliora quam in quocunque alio exercitu; Gallicus miles melius vivit, quam alibi inferior officialis, abundat rebus omnibus, ut durissimos etiam labores subeat libenter. Convolate itaque generosi milites! ad signa Magni Napoleonis, ite cum eo obviam victoriis, & immortalis gloriæ. Locus collectionis hujus agminis erit Lipsiæ.

*Carolus,*

Princeps Isenburgicus.



## NEOVIDENSIS

Nro. 103. (*Neovidensis* 1806. Nro. 97.)

*Ex Campis Elysiis*  
*Colloquium Politicum*  
*vita functorum.*

Elysium.-Meum.- Die Veneris 19. Decbr. 1806 (Neov. 2Dec.)

Vesperis erat conventus; Heroës, et status Ministri disserabant de praesentibus negotiis; Elysei Manes partim gaudebant, partim tristabantur. Quique suam depromsit opinionem de exitu hodierni belli, cum repente comparens Mercurius annunciavit adventum Deae pacis. Dicebat quidem illam non illico, sed post aliquod tempus adfuturam, quo omnibus valere jussis demigrabit ad superos.

Silentes umbrae obstupere, quid? quibus sub auspiciis suspensam tenet alma Dea nostram expectationem? Mercurius tradidit suum scriptum, in quo sequentia continentur:

*Tricesima secunda relatio bellica magni exercitus:*  
 Berolino 16. Novembr. Capto Magdeburgo, et expugnata Lubeca finitum est cum Borussia bellum.

Iste erat status Borussici exercitus in aciem proficiscentis.

Agmen Generalis Rüchel, Vestphalicum dictum, constabat ex 33 legionibus peditum,

4 centuriis venatorum, 46 turmis equitum, Una legione tormentariorum, et 7. majoribus tormentis praeter campestria.

Agmen Principis Hohenlohe compositum fuit ex 24 Legionibus Borussorum, et 25. Saxonum, ex 45 turmis Borussicis, et 36. Saxonicis, ex 2. legionibus tormentariorum, praeterea Borussi habebant 8. majora tormenta, et totidem Saxones.

Exercitus, quem ipse Rex duxit, completebatur primum agmen conflatum ex 10 legionibus, et 15 turmis sub imperio Ducis Viniariensis, et tribus Divisionibus. Primae praefuit Princeps Arausionensis, continebatque 11. legiones, et 20 turmas. Secundam ex 11. legionibus, et 15 turmis constantem direxit Generalis Wartensleben. Tertiae ex 10 legionibus, et 15 turmis compositae praefectus fuit Generalis Schmettau. Copiae subsidiariae paruerunt Generali Kalkreuth, efficientes duas divisiones, quarum quaelibet numerabat 10 legiones de turma praetoria, et 20 turmas.

Subsidiariae cohortes, quibus praepositus erat Princeps Eugenius Wütembergicus, comprehendebant 10. legiones, et 20 turmas.

Totus itaque Borussicus exercitus constabat ex 160 legionibus, et 236 turmis, id est 115. millibus peditum, et 30 millibus equitum, cum 800 tormentis. Hi omnes aderant in conflictu die 14 inito, exceptis legionibus Ducis Viniariensis, et Principis Vürtembergici.

Nihilominus dimicarunt 126 millia Borussorum, e quibus nullus evasit. Ex agmine

Ducis Vinariensis nemo pedem domum retulit. Copiae subsidiariae Principis Vürtembergici, ad Hallam victae, omnes captivae factae sunt. Universi igitur Borussici milites, numero 145 millia partim capti sunt, partim vulnerati, partim occisi. Omnia vexilla, tormenta, supellex, et Generales in nostram venerunt potestatem, ut trans Oderam nihil transiverit. Rex, Regina, Generalis Kalkreuth, et forte 10. vel 12. Officiales ex discrimine emergerunt. Regi Borussiae una adhuc superest legio Glogaviae, quae obsidetur, una Vratislaviae, una Brigae, duo Varsoviae, et aliquot Regiomonti, universim 15. circiter millia peditum, et 3. vel 4. millia equitum.

Pars harum copiarum munimentis est inclusa. Rex Regiomonti, quo hoc momento se recepit, non potest plura, quam summum 8 millia armatorum conscribere.

Electori Saxoniae Generali Lemarois, Gubernatori Wittenbergensi dono dedit suam effigiem, quod 600 praedones in ergastulo detentos, qui se armaverant ad urbem diripiendam, in ordinem redegerit.

Procenturio Lebrün tradidit heri 4 vexilla Caesari 4 Borussicarum equestrium turma- rum, quibus praeterat Generalis Pelet, quas- ve Generalis Drouet ad Lauenburgam coëgit se dedere; Separaverant illae se ab agmine Generalis Blücher.

Supremus excubiarum magister Ameil, quem Mareschallus Soult ad Albim dimiserat interceptiendorum Generalis Blücher militum

causa, cum turma 16 legionis venatorum cepit 1000 viros, et ingentem copiam rerum castrensiū.

Gallici exercitus sequens est collocatio: Divisio equitum loricatorum Generalis de Hautpoult, divisio Dimacharum Generalis Grouchy, et Sahuc, levis armaturae equitatus Generalis Lassalle, qui ad copias subsidiarias Magni Ducis Montani spectabat, proficiscuntur Berolinum.

Primum agmen Mareschalli Ney, quod Magdeburgum compulit ad deditionem, hodie appulit Berolinum, quo etiam Princeps de Ponte Corvo, et Mareschallus Soult properant cum suis legionibus.

Mareschallus Mortier intravit Hamburgum, ut Albiū, et Visurgim praecludat; Generalis Savary oppugnat Hamelam.

Mareschallus Lannes est Thorunii, Mareschallus vero Augereau e regione Graudentii.

Mareschallus Davoust Posnania vadit Varsoviā, quo etiam migrat Magnus Dux montanus cum altera parte sui equitatus, conflati ex Dimachis Generalis Beaumont, Klein, et Becker, ex loricatis Generalis Nansonty, atque levis armaturae equitibus Generalis Milhaud.

Princeps Hieronymus obsidet Glogaviam apparatu bellico Cūstrini formato, Vratislaviā quoque cinxit, et adit possessionem Silesiae.

Nostrae copiae tenent Lencicium cum arce inter Posnaniā, et Varsoviā situm, ubi multam rem frumentariam, et tormentariam

deprehenderunt. Poloni amicissimo sunt in nos animo, verum provincia haec usque ad Vistulam impedita habet itinera, copiosoque sabulo repleta. Nunc primum videt Vistula Gallorum aquilam.

Imperator declaravit cupere se, ut Rex Hollandiae reverteretur in suum Regnum, ejusque defensionem invigilaret.

Rex Hollandorum jussit occupari Hanoveram, ubi aquilae Borussicae, atque insignia Electoris deponuntur.

*Tricesima tertia relatio bellica ex magno exercitu.*

Berolino 17. Novembr. Adnexae induciae sunt heri Charlottenburgi subscriptae. Cum jam tempus anni admodum asperum immineat, hae induciae determinant stativa exercitus. Pars quaedam Poloniae a Gallis possidetur, pars altera neutras bellantium sequitur partes.

Suae Majestates Imperator Gallorum, et Rex Italiae, nec non Rex Borussiae juxta tractatus jam 23. Octobris inchoatos, ad pacem ita infeliciter perturbatam restituendam necessarium esse censuerunt sancire inducias! Quem in finem plena rerum agendarum potestate instruxerunt sequentes viros: Sua Majestas Imperator Gallorum, et Rex Italiae Divisionis Generalem Michaëlem Düroc, honorariae legionis Magnae crucis, et Borussiae nigrae, et rubrae aquilae ordinis equitem &c. Sua autem Majestas Rex Borussiae Marchionem Luchisini suum Status Ministrum, et Camerarium &c. praeterea Generalem Fridericum Vilhel-

num Zastrov &c. qui ita inter se concorditer consenserunt;

Art. 1. Copiae Suae Majestatis Regis Borussiae, quae modo dextram Vistulae ripam occupant, congregabuntur Regiomonti, et in regno Prussiae.

Art. 2. Legiones Suae Majestatis Imperatoris Gallorum, et Regis Italiae occupabunt partem Prussiae australis; quae in dextra Vistulae ripa jacet usque ad exitum fluvii Bugi, Item Thorunum, urbem Dantiscum cum arce, Colbergam, et Lencicium pro sui securitate. In Silesia vero Glogaviam, Vratislaviam, cum parte Provinciae, quae in dextra Oderae parte sita est, sed etiam alteram partem ejusdem fluvii, quae pro limite habet lineam 5. horis supra Vratislaviam ex hoc fluvio excurrentem, et per Olaviam, et Zobsam extensam, denique tractum terrae infra Svidnitium, qui Freiburgum versus, et Landshutum porrigitur, atque Bohemiam cum Libavia conjungit.

Art. 3. Reliquas partes Orientalis Prussiae nec Gallicus, nec Borussicus, nec Russicus intrabit exercitus; et si Russicae ibi forent copiae, Sua Majestas Rex Borussiae promittit se effecturum, ut in suum regrediantur territorium, et nullae in ejus ditiones veniant, quamdiu duraverint hae induciae.

4) Hamela, et Nienburgum, uti etiam in Art. 2. designata loca tradentur Gallis cum omni re tormentaria. de qua tamen intra 8. dies

pro permutatione confirmationis harum induciarum destinatos index conficietur.

Præsidarii horum locorum non erunt captivi, sed remittentur Regiomontum, omniaque eis ad iter necessaria suppeditabuntur.

5. Tractatus pacis continuabitur Charlottenburgi, qui si non succederet, Partes contrahentes se obligant, non prius ad arma descensuros, quam præmissa 10 dierum indictione.

6. Præsentis induciæ ab utroque Imperante approbandæ sunt, atque approbationis tabulae Graudentii permutandæ summum usque 21. hujus mensis.

Ad majorem fidem præsens scriptum nominati Ministri subscripserunt, signaveruntque.

Datum Charlottenburgi 16. Novemb. 1806

*Düroc, Luchesini, Zastrov.*

Hinc patet etiam Russiam non esse alienam à pace, per Russiam autem probabilius Anglia quoque permovebitur ad pacificationem. Jam illi omnis communicatio cum Continente intercluditur, forte idem eveniet etiam in mari Baltico cum Russia. En aliqua motiva perducendi Angnam ad pacem:

*Hamburgo 25. Nov.* Sequentem Notam heri Senatui tradidit Excellentissimus Caesareo-Gallicus Minister Bourienne:

Cum Anglia, nullum agnoscat jus Gentium, quo omnes cultae nationes utuntur; Cum personas ad militiam non spectantes captivas faciat, privatorum patrimonium fisco addicat, Loca non munita, portus, et ostia

fluviorum obsideat, declaretque obsidenda etiam talia, quae nulla ratione huic legi subesse possunt: Galliae necessitatem imposuit easdem adhibendi dispositiones contra insulas Angliae, ejus subditos, eorumque patrimonium, quod fuerit in provinciis, urbibus, et portibus a gallico exercitu occupatis reperitum, item contra naves ex insulis Anglicis venientes, nec non illos, qui ex hoc portu tentarent in Angliam evadere, quas Anglia in sua lege navigationis adoptavit.

Quare Sua Majestas Imperator, et Rex declarando insulas Britannicas esse hostiles, ratione subditorum Angliae, eorum patrimonii, atque navium utitur jure naturali defensionis.

Atque ad hoc propositum Imperator, et Rex non est solo enolumento Galliae, quod etiam prae oculis habet, inductus; sed suarum esse partium intelligit Continentem a malis ab Anglia imminentibus liberare, Anglorum enim violentiae manifeste intendunt interrumpere communicationem cum nationibus, suam autem industriam, et commercium cum ruina Continentis amplificare. Unde prono fluit alveo, omnem, qui in Contiente cum mercibus Anglicanis quaestum facit, adjuvare intentiones Angliae, et tanquam complicem esse considerandum.

Cum itaque multi incolarum Hamburgensium, ut notum est, aperte faveant Anglis, Sua Majestas Imperator, et Rex Civitatem Hamburgensem occupandam invito decrevit, ut supra dicta remedia effectui dentur.

N

Secr

Epi

Elyst

P

sinc  
fam  
gen  
cita  
nos  
hoc  
do

qu  
gen  
stir  
mo  
qui  
stic  
ces

